



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Martinvs Papa V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

praua, & destruamus peruersa, prouidere salubriter, & animarum illaqueationibus obuiare confestim
 plenis desiderijs affectantes, opportuna in his, quę possumus, remedia, studio pastoralis sollicitudinis
 adhibemus. Dudum siquidem dilectus filius Niccolaus Eymerei ordinis fratrum Prędicatorũ, pro
 fessor, in sacra Theologia magister, in regnis Aragonię, Valentię, & Maioricarum Inquisitor hereticę
 prauitatis, nobis exposuit, se in regnis eisdem inuenisse viginti volumina diuersorum librorum, in vul-
 gari scriptorum, a quodam Raymundo Lullio ciue Maioricarum editorum, in quibus (vt ipsi Inquisi-
 tori videbatur) multi continebantur errores, & hęreses manifestę, & quod nonnulli de prędictis, &
 alijs regnis, libris vtebatur eisdem, & eorum doctrinę dabant fidem non modicam, in grande suarum
 periculum animarum: supplicauitq; nobis Inquisitor ipse, vt (ne simplices deciperentur ex libris ip-
 sis) dignemur in hac parte de opportuno remedio prouidere: Nos autem cupientes animarum, iam
 forsitan imbutarum, & quę imbuti possent ex peruerso dogmate dictorum librorum, periculis celeriter
 obuiare, dictos libros per venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Hostiensem, & per quę-
 plures etiam vltra vigenum numerum in eadem theologia magistris, examinari fecimus: diligenter
 per quorum relationem tandem habuimus, quod ipsi dictos libros omnes cum multa diligentia lege-
 rant, & examinauerant, & quod vltra ducentos ¶ articulos erroneos & hęreticales inueniant in eis-
 dem: super quibus inter eosdem Episcopum & magistris sepius & demum corā nobis habita dispu-
 tatione solenni, ipse articulos, (quos ad vitadum prolixitatis tedium, & horribilitatem eorum, ha-
 beri volumus pręsentibus pro expressis) erroneos & manifeste hęreticales, de ipsorum Episcopi &
 magistrorum concordati consilio censuimus reputandos. Cum autem, sicut Inquisitoris pręfati contine-
 bar assertio, in prędictis regnis alij libri, qui asseruntur editi a iam dicto Raymundo, reperiri dicatur,
 in quibus huiusmodi iam reperiri, & alij errores & hęreses erediuntur probabiliter contineri: Nos volen-
 tes de huiusmodi alijs libris, & eorum doctrina informari plenarie, & super eis prouidere salubriter,
 ne fideles in errores huiusmodi damnabiliter prolabantur: fraternitati vestrę de fratrum nostrorum
 consilio, per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus diebus Dominicis & festiuis,
 in singulis ecclesijs vestris cathedralibus, ac curatis, necnon religiosorum quorumcunq; ordinum, ex-
 ptorum & non exemptorum, etiam Cisterciensis, Carthusiensis, Cluniacensis, Pręmostratensis, Gran-
 dimontensis, sanctorum Benedicti & Augustini, ac fratrum Prędicatorum, Minorum, & Eremitarum
 eiusdem S. Augustini, & Carmelitarum, & aliorum ordinum, vestrarum ciuitatum & diocęsum, in
 tra missarum solennia existentibus populis, ad diuina, & in prędicationibus per vos vel ¶ alios, quam
 cito commode poteritis faciatis proponi, quod omnes & singulę personę vtriusque sexus, cuiuscunq;
 status, ordinis, vel conditionis existant, earundem vestrarum ciuitatum & diocęsum, seu commoran-
 tes in eis, habentes libros quoscunq; a pręfato Raymundo editos (vt pręfertur) ipsos infra vnius mē-
 sis spatium, vobis assignare, & illi qui sciunt alias personas libros eosdem habentes, eas vobis reuela-
 re ac nominare procurent: vosque libros recipi faciatis eosdem, quos cum habueritis, quā cito com-
 mode poteritis, curetis nobis fideliter destinare, vt ipsos simili examini subijcere valeamus. Ceterum,
 quia doctrina, seu potius dogmatizatio prędictorum librorum examinatorum reperitur erronea, hę-
 reticalis, & periculosa nimium animabus; & vehemens suspitio est habenda, quod alijs libris editis a
 dicto Raymundo similes vel alij (vt pręfertur) contineantur errores, vobis mandamus, quod omnibus
 & singulis eisdem personis vestrarum ciuitatum & diocęsum, doctrinam seu potius dogmatizatio-
 nem, & vsum huiusmodi librorum interdicare studeatis, donec super his per sedem Apostolicam aliud
 fuerit ordinatum, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo:
 Non obstantibus, si aliquibus communiter, vel diuissim a sede Apostolica sit indultum, quod interdicti,
 suspendi, vel excommunicari: aut extra vel vltra certa loca, ad iudicium vocari non possint per litte-
 ras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mē-
 tionem, & quibuslibet exemptionibus, & alijs priuilegijs, litteris Apostolicis quibuscunq; locis, per-
 sonis, vel ordinibus, sub quacunque forma, vel expressione verborum ab eadem sede concessis, de qui-
 bus eorumq; totis tenoribus, etiam de verbo ad verbum in nostris litteris mentio sit habenda: & per
 quę presentis mandati nostri effectus quomodolibet impediti. Insuper volumus, quod per te frater
 Archiepiscopo tenor pręsentium sub tuo, vel officialis tui sigillo, ad tuos fratres suffraganeos trans-
 mittatur, cui per vos adhiberi volumus, velut in ipsis originalibus plenam fidem. Datum Auinione viij.
 Calend. Februarij, Pontificatus nostri anno sexto.

MARTINVS PAPA V.

Condemnatio errorum Ioannis Wicleff de Anglia, & Ioannis de Husz de Bohemia damnatorum in
 sacro generali Concilio Constantiensi approbatur: male sentientes de sacramētis Ecclesię canonicę coer-
 centur hęreticorum complices panis ab vtroq; iure statutis subduntur: conuerti nolentes castigantur:
 principes seculares non patiantur hęreticos in suis terris habitare, aut ibi commercia exercere: qui hę-
 retici decesserint, licet nondum per Ecclesię declarati, ecclesiastica careant sepultura: bona hęreticorũ
 a tempore commissi delicti confiscata sunt: suspecti de hęresi nisi se purgent, vt hęretici condemnen-
 tur: qui se purgare neglexerint, excōdicentur, & nisi satisfecerint, vt hęretici condemnentur: deficiens
 in purgatione, vt conuictus canonicę puniatur: renouat e. Vt inquisitionis, de hęret. lib. 6. & iubet illud
 custo-

¶ In Codice Sa-
 bellano legitur
 quadringentos.

¶ al. &

A custodiri. articuli Ioannis Vvicleff & Ioannis Hufz nominatim recensentur: modus examinandi hereticos aut de heresi suspectos accuratissimus describitur: suspecti de heresi, aut etiam diffamati personam literè citentur de fide responsuri: medio iuramento iurent dicere veritatem. heretici & eorum complices inquirantur, & canonice puniantur: cõuicti publice abiurent: abiurare recusantes canonice coercantur: ista omnia fiant nullis in contrarium aliquid iuuantibus.



MARTINVS Episcopus seruorum Dei, venerabilibus fratribus, Archiepiscopis, & Episcopis, ac inquisitoribus hereticæ prauitatis vbilibet constitutis, ad quos litteræ præfentes peruenerint, Salutem & Apostolicam benedictionem.

INTER cunctas pastoralis curæ sollicitudines, quibus premimur incessanter, illa potissime fortius nos angit, vt hereticis de finibus Christicolarum expulsis, suisque falsis doctrinis & erroribus peruersis penitus, quantum nobis ex alto conceditur, extirpatis, orthodoxa & catholica fides integra, & illibata permaneat, ac populus Christianus in eiusdem fidei sinceritate, quolibet obscuracionis semoto velamine, immobilis & inuolutus persistat. Sanè dudum plusquam omnibus retroactis temporibus in nonnullis regionibus & dominijs, præsertim in Regno Bohemiæ, & marchionatu Morauia, ac locis & districtibus illis vicinis, aduersus fidei catholicæ dogmata & sanctæ matris Ecclesiæ traditiones, non solum contra vnum, quinimmo contra plura fidei catholicæ dogmata insurrexerunt quidam heresiarchæ, circuncelliones, schismatici & seditiosi, Luciferina superbia & rabie lupina euecti, demoniorum fraudibus illusi, de vanitate in idipsum (licet foret de diuersis mundi partibus oriundi) conuenientes, & caudas colligatas habentes, damnata videlicet memoriæ Ioannes Vvicleff de Anglia, Ioannes Hufz de Bohemia, & Hieronymus de Praga, qui vtiam alios secum ad infidelitatis interitum non traxissent. Nam vbi huiusmodi pestiferentes personæ peruersa dogmata pertinaciter seminabant in suæ doctrinæ pestiferæ primordio Prælati, & alij iudicariæ Potestatis regimina exercentes, tamquam canes muti non valentes latrare, nec vlciscentes cum Apostolo in promptu omnem inobedientiam, heresiarchas ipsos pestiferos & dolosos, eorum lupinam rabiem truculentam statim (vt adstricti fuerant) canonice coercere, eoque de domo Domini corporaliter eiecere non curarunt, sed sacrilegam, falsam & perniciosam ipsorum doctrinam, per longas moras negligenter cõualere permisissent: populorum multitudo, illorum opinionibus falsis decepta, pro veris accepit, quæ diu mendaciter & pernicioso ac damnabiliter seminauerunt, eisque credendo, à recta fide cecidit turba multa, & errore deuio inuoluitur, proh dolor, paganorum, adeo quòd per diuersa illarum, eisdemque conuincinarum partium climata, oues Christi catholice heresiarchæ ipsi successiue infecerunt, & in stercore mendaciorum fecerunt putrescere. Quapropter generalis Constantiensis synodus tantam fidelium, & fidei orthodoxæ plagam & ruinam videns, exclamare compulsa est cum Augustino: Quid faciet Ecclesiæ medicina, salutem omnium materna charitate conquirens, tamquam inter phreneticos & lethargicos astuans? nunquid contemnere, nunquid desistere vel debet vel potest? certe non. secundum eundem, immo vtrique sit necesse est molesta, quæ neutris est inimica. Nam & molestus est medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio, ille ligando, iste cædendo, sed ambo diligendo. Si autem negligant, & eos perire permittant, inquit Augustinus, ista mansuetudo potius falsa crudelitas est. Proinde synodus præfata ad omnipotentis Dei gloriam, ipsiusque catholicæ fidei ac Christianæ religionis conseruationem, augmentum & animarum salutem & præseruationem, eisdem Ioannem Vvicleff, & Ioannem Hufz & Hieronymum, qui inter cætera de Sacro Eucharistiæ sacramento, & alijs Sacramentis Ecclesiæ & articulis fidei, aliter quàm Sancta Romana Ecclesia credit, & tenet, & prædicat, & docet, quamplurima temere & damnabiliter credere ac tenere, prædicare, atque docere pertinaciter attentabant, velut hereticos & pertinaces ac obstinatos iam à communionem fidelium separatos de domo Dei corporaliter eiecit, & spiritualiter eiectos declarauit, & alia nonnulla circa præmissa vtilia & salubria statuit & decreuit, per quæ alij, qui causantibus heresiarchis eorumque falsis doctrinis huiusmodi spiritualiter de domo Dei exierunt, per vias canonicas reducerentur ad semitas veritatis. Et quia (sicut dolenter accepimus) non solum in regno Bohemiæ & Marchionatus dominijs & locis supradictis, verum etiã in quibusdam partibus & prouincijs contiguis seu vicinis eisdem, etiam nonnulli ex sectatoribus & sequacibus heresum ac errorum heresiarcharum prædictorum, timore diuino & pudore humano prorlus abiectis, nec de ipsorum, & præsertim Ioannis Hufz & Hieronymi interitu miserabili sumentes conuersionis & penitentia fructum: sed tamquam in profundum pressi peccatorum, Dominum Deum blasphemare non cessant, ducentes in iritum nomen eius, quorum mentes pater mendacij sic damnabiliter excecavit, vt prædictos libros, codices & opuscula hereses & errores continentes seu continentia dudum èt per synodum præfata damnatos & damnata, ac ignibus concremanda deputata, & concremata, legunt, student, ac ex eis in sui & multorum simplicium periculum, nedum contra statuta, decreta & ordinata in synodo supradicta, sed etiam contra canonicas sanctiones dogmatizare præsumunt, in animarum periculum, ac puritatis fidei denigrationem, & scandalum plurimorum. Nos igitur attendentes, quòd error, cui nõ resistitur, approbari videtur, ac malis & perniciosis erroribus huiusmodi resistere, ac eos de medio Christi fidelium & præsertim de supradictis Bohemiæ & Morauia dominijs & districtibus ac cõfinibus & vicinijs eorum, ne amplius &

Epistola Martini v. damnatione errorum Vvicleff, & Hufz, à Concilio Constantiensi factam, approbans, Ex eodem Concilio Constantiensi, sessio. 45. Anno Domini 1418.

c. Excommunicatus 1. & 2. de heret.

1. Tim. 1. 8. August. ad Festum Epistola 167. Et 23. q. 4. Quid faciet?

August. de correctione Donatistarum ad Romanos. c. 5. Et 23. q. 4. Ipsa pietas.

Ioan. 8. f.

A tri) deputandis, fidem & communionem sanctæ matris Ecclesiæ tenentibus, pareant & intendant, præbeantque auxilium, & fauorem in hæreticorum, necnon credentium, fautorum, receptorum, & defensorum ipsorum inuestigatione, captione, custodia diligenti, cum ab eisdem fuerint requisiti, vt præfatas personas pestíferas alios secum perdere molientes, in potestatem seu carcerem per vos Archiepiscopos, Episcopos, electos, & Inquisitores prædictos aut deputandos à vobis vel ad locum de quo vos vel ipsi mandabitis, infra eorundem dominorum potestatem, rectorum seu iudicum districtum ducant, vel duci faciant sine mora, vbi per viros catholicos à vobis Archiepiscopis vel Episcopis, electis seu Inquisitoribus, seu deputandis personis huiusmodi, vel vestrum aliquo deputato, sub exacta & diligenti custodia, ne fugiant ponendo eos, etiam compedibus, & manicis ferreis teneant, donec eorum negotium per Ecclesiæ iudicium terminetur, & quòd de hæresi à iudice Ecclesiastico competenti, qui fidem & communionem dictæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ teneat, condemnentur, præfati domini temporales seu rectores, iudices, vel eorum officiales seu nuncij, sibi relictos recipiant indilate, animaduersione debita puniendos. Verum ne præiudicium, & scandalum præfate fidei orthodoxæ religionis Christianæ, prætextu ignorantia quæquam in hoc circumueniti, aut veritus homines sub friuolæ excusationis velamine in hac materia palliare contingat, & vt de conuincendis, seu cognoscendis hereticis, receptoribus, defensoribus, fautoribus, credentibus, & adhaerentibus, necnon de hæresi suspectis, & alijs huiusmodi peruersa doctrina quomodolibet maculatis, plenior habeatur in futurum instructio, tam ad regnum Bohemiæ, & conuicias illi, quàm alias quaslibet partes, in quibus hæc superstitiosa doctrina quomodolibet pullulauerit, articulos infra scriptos sectam dictorum hæresiarum concernentes pro directione dictæ fidei decernimus transmittendos, & etiam destinandos: super quibus vobis & alijs omnibus Archiepiscopis, Episcopis, & electis, ac commissarijs & Inquisitoribus in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, vt quilibet eorum infra limites & loca suæ iurisdictionis, necnon regno, & marchionatu, & locis eis vicinis prædictis, etiam si loca ipsa extra iurisdictionem eandem ultra duas diaras consistant, circa extirpationem, & correctionem errorum ac heresum, & huiusmodi sectæ pestifera, in fauorem ipsius fidei orthodoxæ diligenter inuigilent, & omnes infamatos seu suspectos de tam pestifera labe sub eonfessati criminis, excommunicationis suspensionis, interdicti, aut alia formidabili pena canonica vel legali, prout quando, & quæmadmodum eis videatur expedire, & secti requireret qualitas, ad singulos huiusmodi articulos per iuramentum corporaliter præstitum, tactis sacrosanctis Euangelijs, seu sanctorum reliquijs, imagine Crucifixi, secundum quorundam locorum obseruantiam, iuxta infra scripta interrogatoria, ad quemlibet articulum conuenientia, respondere compellant. Nos enim contra omnes & singulos Archiepiscopos, Episcopos, & lectos, Inquisitores, qui super extirpando hæreticæ prauitatis fermento, & expurgando suum territorium, districtum seu locum, de talibus malis, & sceleratis hominibus, negligentes fuerint seu remissè egerint, vsque ad priuationem seu depositionem Pontificalis dignitatis procedere intendimus, & procedemus, ac procedi faciemus, aliofque loco illorum substituemus, qui prauitatem hæreticam possint, & valeant confundere, & ad alias penas contra tales à iure inflictas, & alias grauiiores (si expediat) indigendas, procedemus, procedique faciemus, iuxta iuris & facti exigentiam, ac huiusmodi culpa, & criminis sceleratam. Tenores vero eorundem articulorum seu capitulorum, de quibus supra fit mentio, sequuntur per ordinem in hæc verba.

Innoc. iii, in
extrauag. Ad
extirpanda.
§. teneatur
cl. r.
† aucta.

Excommu-
nicamus i. §.
vit. de hære.

Constantien.
Concil. sess. 8.

ET PRIMO SEQUITUR TENOR
articulorum Ioannis Vvicleff.

- S**UBSTANTIA panis materialis, & similiter substantia vini materialis, remanent in sacramento altaris. 1
- Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem sacramento. 2
- Christus non est in eodem sacramento identice, & realiter in propria presentia corporali. 3
- Si Episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat. 4
- Non est fundatum in Euangelio, quòd Christus Missam ordinauerit. 5
- Deus debet obedire diabolo. 6
- Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua, & inutilis. 7
- Si Papa sit præcitus, & malus, & per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte à Cæsare. 8
- Post Vrbanum sextum non est aliquis recipiendus in Papam, sed viuendum est more Græcorum sub legibus proprijs. 9
- Contra scripturam sacram est, quòd viti ecclesiastici habeant possessiones. 10
- Nullus prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum à Deo, & qui sic excommunicat, fit ex hoc hereticus, vel excommunicatus. 11

